

No. 282. 1451. 20. Nov.

*M. Johannes Scheibe, Syndicus und Procurator des Bürgermeisters und Rathes zu Leipzig, appellirt nochmals vor Notar und Zeugen unter Aufrechthaltung der früher eingelegten Appellation (vgl. zu No. 280) wider eine Sentenz des Abts Thaddäus vom Schottenkloster zu Erfurt an den päpstlichen Stuhl, mit weiterer Ausführung der Beschwerdepunkte.*

In nomine domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo indictione quartadecima mensis Novembris die vicesima hora tertiarum vel quasi pontificatus sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Nicolai divina providentia papae quinti anno eius quinto in stubella parva scolae particularis sitae in cimiterio sancti Thomae apostoli opidi Lipzensis Mersburgensis diocesis in mei notarii publici testiumque infrascriptorum praesentia personaliter constitutus honorabilis magister Johannes Scibe decretorum baccalarius syndicus et procurator honestorum et providorum virorum proconsulum et consulum ac totius communitatis opidi Lipzensis Mersburgensis diocesis praedictae, de cuius syndicatus et procurationis mandatis mihi notario subscripto plene constabat atque constat, habens et tenens in suis manibus quandam chartam papiream tenorem cuiusdam appellationis in se continentem, quam ibidem syndicus nomine animo et intentione appellandi et provocandi exhibuit et de verbo ad verbum legit appellavit protestatus fuit et apostolos petivit prout in ipsa continetur. Cuius quidem appellationis tenor per omnia sequitur in haec verba:

Ego Johannes Scibe decretorum baccalarius syndicus et procurator syndicatus et procuratorio nominibus circumsectorum providorumque virorum dominorum proconsulum consulum totiusque communitatis opidi Lipzensis Mersburgensis diocesis primo et ante omnia protestor, quod per hanc meam infra ponendam appellationem non velim neque intendo a prima mea appellatione nomine praedictorum dominorum meorum in eadem causa nuper anno praesenti die decima sexta mensis Septembris ad sanctissimum dominum nostrum dominum Nicolaum papam quintum a venerabili viro domino Thadeo abbate monasterii sancti Jacobi Scotorum Erfurdensis contra venerabilem et eximium virum decretorum doctorem Johannem de Allenblumen vice-dominum Erfordensem ex legitimis iustis atque veris causis interposita recedere quovis modo, quin imo eandem proseguere volo et intendo tempore competenti, sed geminare volo appellationem ex alio novo gravamine, sciens quod geminatio appellationum non submittit sed subtrahit appellantem a primi iudicis potestate, nec factum eius approbat sed potius impugnat stante ista protestatione. Tunc ego Johannes is qui supra nomine quo supra animo et intentione appellandi iterum et provocandi propono coram te notario publico et testibus hic praesentibus et dico, quod ob id quod praememoratus dominus abbas Scotorum dominos meos supradictos multipliciter et de facto gravavit ut praesumitur in favorem praedicti domini doctoris ideoque non fuit necessarium mihi aliud gravamen exspectare, a suis ergo gravaminibus et ab eo ac contra dictum dominum doctorem ad sanctissimum dominum nostrum papam